Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

tertium. Sacerdotes autem et populus ne transeant terminos, nec ascendant ad dominum, ne forte interficiat illos. Descenditque moyses ad populum et omnia narravit eis.

XX

Locutusque est dominus cunctos sermones hos. Ego sum dominus deus tuus qui eduxi te de terra egypti et de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem que est in celo desuper et que in terra deorsum, nec eorum que sunt in aquis subter terram. Non adorabis ea neque coles. Ego sum dominus deus, deus tuus fortis et zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in terciam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in milia his qui diligunt me et custodiunt precepta mea.

Non assumes nomen domini dei tui in vanum, nec habebit insontem dominus eum qui assumpserit nomen domini dei sui frustra.

Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum domini dei tui est; non facies in eo omne opus tu et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum et advena qui est inter portas tuas. Sex enim diebus fecit deus celum et terram, mare et omnia que in eis sunt, et requievit in die septimo. Idcirco benedixit dominus diei sabbati et sanctificavit eum. Honora patrem tuum et matrem tuam ut sis longevus super terram quam dominus deus tuus dabit tibi. Non occides.

Non mechaberis. Non furtum facies. Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium.

Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia que illius sunt. Cunctus autem populus videbat voces et lampades et sonitum buccine, montemque fumantem, et perterriti ac pavore concussi steterunt procul, dicentes moysi: Loquere tu nobis et audiemus. Non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Et ait moyses ad populum: Nolite timere. Ut enim probaret vos venit deus, et ut terror illius esset in vobis et non peccaretis. Stetitque populus de longe. Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat deus. Dixit preterea dominus ad moysen: Hec dices filiis israel: Vos vidistis quod de celo locutus sim vobis. Non facietis vobis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis michi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei. Veniam ad te et benedicam tibi. Quod si altare lapideum feceris michi, non edificabis illud de sectis lapidibus. Si enim levaveris cultrum tuum super eo, polluetur. Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.

Hec sunt iudicia XXI que propones filiis israel. Si

155